

Jubente arte eadem è fistula promit,
Nunc purpureum, nunc candidum,
Nunc hos, nunc illos,
Vere multiparens.

Limitari se per artem docet, non immutari;
Dirigi, non corrigi, elevari, non depravari.
Aquam bibere, spuerè vinum,
Nec naturæ innubæ, nec artis viduæ opus est:
Est verò *Natura cum Arte*
Maritata.

Tanti inter est, steriles jungantur aut fœcunde.
Hoc in lusu Theatrali, quia sibi placet & aliis,
Plausum cupit:
Et ut certius obtineat, ipsa adornat,
Suppetias ab aère petens.

Aère in societatem admissò ab aqua,
Tubæ animantur & tibiæ,
Euntque in plausum canorum mutæ volucres.
E volucrum simulacris
Fertur ad aures levissimus auræ sonus,
Aère spirante;

Qui tamen, uti per auras oritur, per auras mox emoritur:
Nam tritonis, Panis statuas, mutasque animantes
Aër vocales reddit, non vitales:
Nunquam uni omnia concessa.

Spiritum quidem aër, quo vita alias ducitur, largitur,
Verum, dum aqua eum frangit ad melodiam,
Spiritum simul emittunt, & amittunt.
Sic suas divitias oculis, auribus delicias,
Tam fausto connubio natas
Natura monstrat,
Et dominatus luce donat
Totius Orbis:

Ut